



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

Ziegler, Kaspar

Norimbergæ, 1686

XVII. De jure faciendi Clericos per tonsuram.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

CAP. XVII.

De Jure faciendi Clericos per tonsuram.

I.

PEnè omissem hanc, quam absolvere oportuisset, tractationem, antequam de ordinatione dici quicquam debuit. Hanc enim tonsuram Romanæ Ecclesiæ Doctores hodiè primam esse dicunt qualitatem, personis Ecclesiasticis tam necessariam, ut nemo Clericus esse aut dici queat, antequam Clericali hâc tonsurâ donatus fuerit, licet ad majores ordines promotum se probaverit. Censeri enim talem per saltum promotum, idque prohibitum esse per canones. Inde verò religiosè admodum & sollicitè sibi prospicere solent, ut vel per literas vel per testes tonsuram hanc in se factam probare queant. Guid. Pap. *quest. 474.* Nicol. Poër. *de cis. 171. n. 23.* quanquam Gallica edicta in tali casu, quo de primâ tonsurâ alicui quæstio status movetur, non nisi per tabulas probationem admittant, uti testatur Renatus Choppinus *de sacr. polit. lib. 3. tit. 1.* Add. Joh. Papon. *lib. 1. tit. 5. arrest. 38.*

II. Hanc igitur tonsuram januam esse dicunt ad Ecclesiastica officia obtinenda, & fundamentum reliquorum ordinum omnium, ita ut totum corruat, quod huic fundamento non fuerit superstructum aut inædificatum. Ant. Bengueus & Franc. Pinson. *de benef. tit. de qual. ordinand. §. 1. n. 5.* Inde primitias clericatus & signum clericatus vocat Petrus Cellensis *lib. 7. epist. 16.* Præ cæteris hoc unum ad præsens postulat, ut de manu vestra primitias Clericatus, id est, coronam accipiat. Et *epist. 18.* Habeat itaq; vos Dominum & signo Clericatus à vobis suscepto patronum & auctorem hujus ordinis habeat. Græci *πικαλήδραν* vocant, uti videre licet apud Theodor. Balsamonem *ad c. 21. Concilii Sexti in Trullo.* Minores enim Clerici iisdem *πίππος* dicti fuerunt. Et quia per ejusmodi tonsuram characterem imprimi volunt, hinc adeò tantè eam æstimant, ut, licet indignè alicui collata fuerit, ejus tamen rationem habendam esse statuunt. Exemplum refert Johannes Paponius *lib. 5. tit. 12. arrest. 4.* de Laico, cui imprudenter & inconsideratè post crimen admissum corona Sacerdotalis facta & vestes Clericales indutæ fuerant. *Judices,* ait, *arbitratos fuisse, postquam criminis convictus fuisset, antequam judicaretur, pristinâ veste eum amiciendum, & tondendum ad delendam coronam, quæ ipsi facta fuerat.*

III. Simplicem inde dicunt dari clericaturam, eamque conferri per levem tonsionem vel abscisionem capillorum in vertice capitis existentium, ita ut coronæ speciem referat, & corona quoque dicatur. Et hanc

coro-

coronam non nisi ab Episcopo dari contendunt, aut ab abbate, sed ab hoc non aliis, nisi subjectis suis, quos sub regulâ habet Concilium Pictavense anno MCIX. *can. 1. Ut nullus præter Episcopum Clericis coronas benedicere presumat, exceptis abbatibus, qui illis tantummodo coronas faciant, quos sub regula B. Benedicti militaturos susceperint.* Abbates tamen aliqui per privilegium Pontificis Romani id habent, ut primam tonsuram Clericalem in locis sibi subjectis quibuscumque conferre possint. Quale refert Cluniacensibus ab Urbano V. concessum Andreas Quercetanus in *not. ad bibliorb. Clun. pag. 122. Ut tu & Successores tui Abbates dicti monasterii, qui erunt pro tempore, tam in eodem monasterio, quam in prioratibus & Ecclesiis sive locis tibi & eidem monasterio immediatè subjectis, infra metas tamen exemptionis monasterii ejusdem consistentibus omnibus & singulis scholaribus volentibus clericali charactere insigniri, qui de locis hujusmodi oriundi fuerint, primam tonsuram clericalem conferre valeatis &c.*

IV. A proprio Episcopo rectè illam conferri tonsuram, nemo est, qui ambigit. Sed ab extraneo collata an eundem habeat aut habere debeat effectum, valdè adhuc disquiritur. Utriusque sententiæ rationes recenset Petrus Gregorius *de benefic. cap. 36.* Nostra nihil interest, litem eam componi, cum, ut mox dicemus, parum præfidii inveniat hæc tendendi necessitas in testimoniis Ecclesiæ antiquæ. Nihilominus tamen tam superfluitosè ea exigitur, ut si collata fuerit ab eo, qui Episcopus non est, nullam habeat virtutem & efficaciam, sed adhuc conferri debeat à proprio Episcopo, non obstante, quod iterari hoc modo videatur, cum iteratio dici nequeat ejus, quod nunquam fuit concessum. Et inveni tamen aliquando, quod mirum videbatur, ex literis systaticis Jesuitarum, quæ in manus meas venerunt, haberi tonsuram istam pro accidente, quod abesse posset. Sic enim scripserat Franciscus Schüz Societatis Jesu ad Sebastianum Lysandrum S. Th. D. Ord. min. con. S. Francisci, d. 28. Maji 1677. Polonii: *Multos enim prodidit ac perdidit habitus & tonsura, quæ accidentia sunt in homine spiritali, possuntq; adesse & abesse sine subjecti corruptione &c.*

V. Non desunt tamen inter ipsos Canonistas, qui etiam simplici sacerdoti & presbytero facultatem tendendi tribuunt, quos refert Augustinus Barbosa *de offic. & potest. Episcopi part. 2. alleg. 3. n. 16.* Et illi consentientem habent glossam in *c. quoniam dist. 69. & in c. cum contingat. x. de etat. & qual. ord.* Id verò indicium facit, inter jura Episcopalia relatum id olim non fuisse. Et contigit igitur hic idem, quod in aliis partibus observavimus, ut ad se rapuisse dicamus Episcopos, quod commune olim ipsis fuit cum presbyteris. Nectanti tamen est hoc axioma, ut succensere debeant presbyteri, quippe quod ab initio non ab ipsis personis Ecclesiasticis, sed à tonsuris expeditum videtur. Et quia Apostolos omnes tonsos esse fingunt,

non malè quis interrogaverit, utrum ab ipso Salvatore Christo hanc eis tonsuram collatam putent? Necessaria enim si ea est ad officium Ecclesiasticum sustinendum, nec ab ipsis etiam Apostolis potuit aut debuit omitti, & negligi. Ut verò de necessitate hanc exactius constet, paulo altius in ejus originem inquirere, & ex antiquis instrumentis eam deducere operæ erit pretium.

VI. Et quidem non negamus, tonsos fuisse jamdudum in Ecclesiâ, qui in ministerio ejus destinati fuerunt. Nec tamen ab antiquitate illâ præsidium aliquod peti potest, cum etiam in crassissimis erroribus ad antiquitatem provocare quandoque soleant eorum patroni. Quibus merito obvertitur, quod legitur apud Augustinum *de quest. Vet. & N. T. q. 114.* *Inventis asperit quedam præstigia Satanas, per quæ illiceret homines ad morem. Et sic factum est, ut per traducem antiquitatis commendaretur fallacia, & excusaretur turpis inventio.* Optimè igitur Cyprianus *lib. 2. ep. 3.* *Non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putaverit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit.* Et Tertullianus *lib. de veland. virgin. c. 1.* *Veritati nemo præscribere potest, non spacium temporum, non patrocina personarum, non privilegium regionum. Ex his enim ferè consuetudo initium ab aliquâ ignorantia vel simplicitate sortita in usum per successionem corroboratur, & ita adversus veritatem vindicatur. Sed Dominus noster Christus veritatem se, non consuetudinem cognominavit.* Si, ut monet Cyprianus, respiciendum est ad id, quod Christus prior fecerit, nunquam certè, caput Christi attonsum fuisse, probabit quisquam. Imò verò, si fides habenda est Nicephoro, prorsus contrarium ex *lib. 1. histor.* statuendum erit. Sic enim ille: *Capillum habuit flavescens, non admodum copiosum, honestum illum quidem, & quasi in cirros desinentem, ut aliquantulum crispus videretur. -- Sed prolixiorum capitis gestabat capillum. Nunquam enim attigit caput ipsius novacula, ne hominis quidem manus omnino, præterquam matris nutricis parvuli.* In eandem ferè sententiam concepta est epistola, quæ Publii Lentuli nomine circumfertur: *Capillos circinos & crispus aliquantum ceruliores & fulgentiores ab humeris volitantes, discrimen habens in medio capitis juxta morem Nazarenorum.*

VII. Ab ipso igitur Magistro Clericorum omnium, & Ecclesiæ autore Christo cum nihil tale vel factum vel præceptum probari queat, ad Apostolos recurritur, & non ipsos tantum attonsos fuisse, sed ut alii quoque eorum successores similiter attonderentur, instituisse, confidenter nimis asseritur. Testimonia ejus rei & probationes si exigas, Aniceti Pontificis verba nonnulla, & alia Dionysii Areopagitæ recensentur, sed quibus ut spuris & supposititiis nullam adhuc fidem conciliare potuerunt. Et nihilominus firma inde, si diis placet, hæc regula constituitur: *Que per universam Ecclesiam toto terrarum orbe recepta ab Apostolorum temporibus usu frequen-*

quentata leguntur, ea secundum regulam S. Augustini, ab Apostolis profecta & constituta esse rectè creduntur. Augustini quidem regula, cætera si paria sunt, reprehendi non potest, sed ad præsentem statum malè applicatur, cum nondum probari potuerit, ab Apostolorum temporibus tonsuram frequentatam fuisse. Quin & Apostolos ipsos clericalis ac monasticæ tonsuræ prototypum & exemplar præbere voluisse, verisimile haud videtur, eò quod ipsi inter se omnes uno eodemque modo attonsi non fuerunt, uti ad Regem Pictorum Naitanum scripsit Abbas Ceolfridus apud Bedam *lib. 5. Eccles. histor. cap. 22.* Id si verum est, dubitari posset, cur ipsi prototypum hoc suum tam variè formaverint, nec uno & eodem modo coronam Clericalem sibi adaptaverint. Id verò argumentum facit, noluisse eos, ut in exemplum statuatur, si unquam facta fuit, talis eorum tonsura. Talis, inquam, quæ clericalem inferret ordinem. Aliàs enim tonsos eos ex consuetudine nationis suæ fuisse non negaverim. Israelis enim populum Græcorum veterum, Romanorum, Gallorum, & Germanorum more comatum haudquam fuisse, vel inde colligi potest, quod comam alere proprium esset Nazæorum, uti hi facile ex comâ dignosci possent ab aliis popularibus. Vid. Geierus *de luct. Ebr. c. 8. §. 6.*

VIII. Sed nec Christiani quidem, sive Clerici fuissent, sive Laici, comam alebant olim, secuti monitum Pauli, qui viro comatum esse ab ipsâ naturâ interdictum ait, *1. Cor. XI, 14.* Et sic autor Constitutionum Apostolicarum *lib. 1. c. 3.* Tibi, ait, qui fidelis & homo DEI es, non licet nutrire comam & in unum colligere: hæc enim luxuria est & molities, neq; effusam gestare, neq; discriminatam, neq; facere, ut tumescat, neq; eam carpando & formando crispare, neq; flavam reddere. Idem colligitur ex sententiis Clementis Alexandrini *lib. 3. Stromat. c. 3.* Cypriani *lib. 3. ad Quirin. cap. 85.* Epiphaniï *in heres. Massalianor. 80.* & aliorum. Et quis verò putet, tonsuram illam, quam Clericis hodiè necessariam esse comminiscuntur, perinde olim Laicis adplicatam fuisse? Imò verò videntur Clerici tum temporis conformasse capillos suos capillis Laicorum, adeò, ut cum illi comam nutrent deinceps, etiam hos idem factitasse, verisimile sit. Huc enim traho, quod scribit Ambrosius *in Hexamero lib. 6.* comam esse reverendam in Senibus, venerandam in Sacerdotibus, terribilem in bellatoribus, decoram in adolescentibus; comptam in mulieribus, dulcem in pueris &c. Et huc pertinet, quod in vita Martini legitur, cum ad Episcopatum ille peteretur, statuisse ex ipsis Episcopis nonnullos, indignum esse eum, hominem vultu despicabilem, veste sordidum, crine deformem, apud Sulpitium Severum *in vitâ S. Martini.* Istam crinis deformitatem ita describit Benedictus Paullinus Petrocorius *in ejusd. vitâ lib. 2.*

*Quosdam etiam perhibent, nefas est quod credere, doctâ
Mente Sacerdotes similem traxisse furorem,*

Ri

*Ridentes gaudenda sibi, quod nulla verendam
 Gratia compisset faciem, quod crine reciso
 Proferret totum Domini frons libera signum,
 Lumina nec premeret tremularum nube comarum.*

Calumniandi igitur materiam præbebat, quod Martinus ad Episcopatum evehendus non haberet capillos amœnos & delicatos, nec ad lenocinium decoris promissos. Non erat ergo tùm moris, uti rectè commentatur Caspar Barthius, quod postea factum est, ut sacerdotalibus honoribus invehendi comam deponerent. Scripsit autem Paullinus circa annum Christi CCCCLXX.

IX. Videtur tamen sensim recepta ea sententia, ut putarent, discrimen aliquod in ipsâ etiam coma statui debere inter Clericos & Laicos, utve monitum Pauli Apostoli, si à Laicis negligeretur, saltem inter Clericos observaretur. Hinc enim commendat Cyprianum Martyrem & Episcopum Carthaginensem Prudentius:

*Jamq; figura alia est, quàm quæ fuit oris & nitoris,
 Exuitur tenui vultus cute, transit in severam,
 Destrua casaries compefcitur ad breves capillos.*

Et Hilarius Arelatensis Honoratum decessorem suum in ejus vit. Rediguntur ad breves capillos luxuriantes comæ, transfertur ad nitorem mentis vestium splendor, cervicis lacteæ decus palliis rigentibus occupatur. Id verò non ita accipiendum est, ac si jam tùm eo tempore corona ista clericalis, quam hodiè necessariam esse volunt, in usu fuisset, & sub certâ istâ formâ casaries abscessa dici debeat, sed quod exuberantes & in humeros promissi capilli breviores redditi fuerint, ut quæ delicatulis, propter affectatum comæ ornatum, tribuuntur elogia, nullum apud Clericos possent habere locum. Indeque non malè statutum deinceps fuit in Concilio Agathensi c. 20. ut Clerici, qui comam nutriunt, ab Archidiacono, etiamsi noluerint, inviti detondeantur.

X. Fuit igitur hæc præcipua Doctorum Ecclesiæ tùm temporis intentio, ut saltem in Clericis restitueretur disciplina ab Apostolo Paulo accepta, si minùs ad eundem simul revocari possent Laici. Etsi enim hos eosdem ad parem capillorum occisionem commovere nunquam cessaverint, impetrare tamen ab iisdem istud haud potuerunt. Perstringunt istam Laicorum proterviam patres in Concilio Quinisexto in Trullo congregati can. 96. Qui Christum per baptismum induerunt, ejus in carne vitæ agendæ rationem imitari professi sunt. Eos ergò, qui capillos ad videntium detrimentum scitè excogitatis nexibus adornant, & componunt, & infirmis animis escam ea ratione obvivere docentes, ut relicta fraude & vanitate, quæ ex sordibus mundanis oritur, ad

ad interitū expertem beatamq; vitam mentem assidue traducant Sc. Quid verò profecerint suis hūc monitis, ut maxime excommunicationis pœna adjecta fuerit, posteriorum temporum ostendunt relationes & repetitæ bonorum auctorum in istam luxuriæ speciem declamationes.

XI. Temperare mihi nequeo, quin adscribam Johannis Zonaræ ad canonem istum Trullanum commentarium, quod & suis temporibus, quid obtinuerit, eleganter describat, & non minus nostris hodiè moribus conveniat. Ita autem ille: *Que porrò magis affectata ac supervacanea exornandi corporis ratio, quàm eorum, qui capillum variis nexibus implicant, multâ arte disponunt, in partes concinne dividunt, eoque imbecilliores in fide animos, quique propterea ad intemperantiam facilius delabuntur, velut quâdam escâ deceptos, in fraudem alliciunt? Igitur divini illi Patres implexi nodis atque ac studiose compositi capilli meminere. Nihil enim aliud, ut videtur, in ornatu comarum eo tempore peccabatur. Nihil eorum scilicet, que nostris temporibus in capillo tingendo fingendoq; homines elaborant, qui quidem omne studium suum eò conferunt, ut comam alant, ac cincinnorum simbras, sceminarum ritu, si fieri possit, ad Zonanam usque demittant. In quo non solum illi nimium de non tondendo capillo solliciti sunt, sed etiam, præterquam quod ferramenti omne genus à capite amoveant, omnia præterea comæ nutriendæ aut augendæ medicamenta studiose nimis atque accurate conquirunt. Fingunt sibi exinde crines calamistis, quo crispi fiant, in-torquentes; tingunt quoque ut flavescant, & auri speciem referant. Alii aquâ madefactos in Sole explicant, ejusq; radiis torreri patiuntur, ut ater inde capillorum color immutetur. Sunt etiam, qui mentitam cesariem, nativo ac ingenito crine abrafo induunt. Atque hæc quidem hoc tempore in componendo ornandoq; capillo, à plurimis usurpantur. Contra verò omnia, quod ad barbam attinet, fieri consuevere. Quibus etenim juvenilis ille sterculus primùm innascitur, illum subito, ne in lanuginem excrescat, sed illorum in facie levitas oberret, sintq; mulierum instar teneri ac molles, abradi jubent. Quibus verò longius ætate provec-tis densiores ferè pili mento enascuntur, illi, ne demissiore barbâ conspiciantur, à novaculâ quidem abstinent, testa verò ignito fragmento barbæ admoto, quicquid è mento altius eminet, depascuntur, tantumq; linqunt, ut lanuginis modo pubescentis similitudo appareat; ac jam in viros adsciti, nihil ab adolescentioribus primo ævi flore pubescentibus, differre videantur. Que quidem non à tenuioribus modo, sed ab ipsis quoq; longè amplioris fortunæ hominibus usurpantur. Hinc diffusum longè lateq; malum universos penè occupavit, ac instar pestis cujusdam, in eos, qui Christianorum nomine censentur, irruens ubiq; ferè grassatur. -- Nostri verò Patres hoc tempore, qui in capillo & barba ea que diximus peccant, ac deformis adhuc lasciviunt, eoque ornatu Ecclesiam ingrediuntur, non modo impune abire patiuntur, sed & iis benedicunt & sacra mysteria communicare volentibus prob facinus, imper-tiunt Sc.*

XII. Continuatus fuit iste cultus mollior atque delicatus ad ætatem usque Matthæi Monachi sive Blattaris, qui in syntagmate alphabetico literâ T. cap. 9. ad supra adductum canonem Trullanum his verbis commentatur: *Quid verò vanus, quàm plurimam curam capillis capitis ac barbæ impendere adornandis, & juxta artem disponendis, adeoque escam proponere animabus ad intemperantiam pronis, cum interim insuper habent interioris hominis per virtutes cultum? -- Eos qui ista fecerint primum paternè increpari jubet, perseverantes tamen excommunicari. Easdem pœnas incurrunt etiam hi, qui crines plicant, ut crissi fiant, & tingunt, aut aquâ primum irrigantes in Sole arefaciunt, ut stavedinem acquirant, vel student ut aurei evadant vel densi, aut cincinnos spurios gestant, aut mentum rasum habent, aut maximam ejus partem testâ ignitâ exurunt, semet nitidulos ut sibi videntur, reddentes, quasi lanugo ipsis jam primum excreverit. Hoc enim hodiè potissimum tanquam morbus epidemius apud Christianos increbuit. Nihilomeliores sunt mores hodierni, & fuerunt adeò semper, qui, ut Seneca ait, sollicitiores sunt de capitis sui decore, quàm de salute: qui inter speculum pectinemque occupati sunt, qui concinniores esse malunt, quàm honestiores, qui Remp. suam turbari minus curant, quàm comam.*

XIII. Sed hæc *ὡς ἐν παροῦσα*. Redeo in viam, & ex ante dictis conficio, vix reperiri in primorum quinque seculorum scriptis aliquid vestigium, ex quo de tali tonsurâ, qualis deinceps necessaria judicata fuit, firmum aliquid colligi queat argumentum. Putat quidem Jacobus Gothofredus, & ex l. 38. C. Theodos. de Episc. Eccles. & Cler. probari posse contendit, jam eo tempore, quo constitutio ista promulgata fuit, hoc est, anno Christi CCCCVII. coronam insigne fuisse Clericorum, & per coronatos proinde illic memoratos intelligi debere clericos, quod coronam Clericalem per amputationem capillorum gestarent in capite. Eoque referri solent Hieronymi, Augustini, & aliorum testimonia, qui aliquoties coronam Sacerdotalem pro reverentiâ & auctoritate usurparunt. Magnum eorum numerum recenset Carolus du Fresne in glossar. sub vocab. Corona. At verò, quia vocabulum coronæ admodum ambiguum est, & alium sæpenumero atque diversum admittit significatum, & quæ superius adduxi testimonia contrarium sustinent, nempe non ita tonsos fuisse olim Clericos, ut specialis inde aliquis character, & quidem sub necessitatis vinculo imprimeretur, vix erit, ut tuto inhærere liceat istî sententiæ. Nisi quis statuere velit, istum tonsuræ modum non eodem simul tempore ubique terrarum receptum fuisse. Certè Lorinus Jesuita cum de hoc titulo, *corona vestra*, multis disputasset, & observasset, Episcopis eum, non autem presbyteris & nudis sacerdotibus tributum fuisse, his tandem concludit verbis: *Sed cum solis Episcopis, qui Sacerdotum nomine aliquando intelliguntur, videatur tribui dicta*
corone

corone nomenclatura, fortasse per coronam intelligitur augustus ille capitis amictus, quem dicunt mitram, proprius Episcoporum. Aliter vocabulum coronæ usurpavit Valentinianus III. Imp. in novell. de Episcopor. ordinat. dum Petrum appellat principem Episcopalis coronæ.

XIV. Nihil facit, quod ex Concilii Carthaginensis IV. can. 44. adducere solent: *Clericus nec comam nutriat, nec barbam.* Nec enim ex eo, quod nutrire comam prohibetur, quisquam mihi conficiet coronam clericalem, sequioris ævi inventum. Præsertim cum & Laici comam nutrire prohibeantur. Nec profecto, si ea fuisset Patrum Carthaginensium mens, Donatistis objicere potuisset Episcopus itidem Africanus, Optatus nempe Milevitanus lib. 2. adversus Parmenian. Docete, *ubi vobis mandatum est radere capita Sacerdotum, cum è contrario sint tot exempla proposita, fieri non debere.* *Κομμον περιτον*, qui rasuram hinc prohibitam esse volunt, non verò tonsuram. Quanquam enim distingui aliàs illæ inter se queant, hoc tamen ad rem præsentem perinde est, uti optimè notat Renatus à Valle in Hipparcho de religios. negotiatore num. 81. Utiturque in hæc eadem materiâ rasonis vocabulo Ivo Carnotensis serm. 2. de excell. sacror. ord. Ad hoc, inquit, *capillos in modum coronæ in summitate capitis raditis, ut & regnum spirituale, quo cateris præminetis, tali figurâ ostendatis, & curæ mortalis illecebras frequenter redeuntis sic amputetis de corde, sicut crines frequenter resurgentes abraditis de capite &c.*

XV. Dixi, solum id prohibitum fuisse ab initio, ne Clerici comam alerent, neve paria in hæc re cum delicatis Laicis & Veneris nepotulis facerent. Sed degeneravit deinceps ista tondendi obligatio in certum quendam & religiosum modum, quem negligere nefas fuit. Sic enim anno DCXXXIII. decretum legitur in Concilio Toletano IV. can. 40. *Omnes Clerici vel Lectores, sicut Levitæ & Sacerdotes, detonso superius capite toto, inferius solum circuli coronam relinquunt. Non sicut hucusq; in Gallicia partibus facere lectores videntur, qui prolixis, ut Laici, comis, in solo capitis apice modicum circum tondent. Ritus enim iste in Hispaniis hucusq; hæreticorum fuit. Unde oportet, ut pro amputando ab Ecclesiis scandalo hoc signum dedecoris auferatur. Qui secus fecerit, fidei Catholicæ reus erit. Utrum hæretici illi, quos refert, ritum istum tondendi primi introduxerint, an verò Christiani reliqui, ut ab illis secerni possent, novum aliquem modum instituerint, divinare haud licet.*

XVI. Imò verò ipsos etiam Apostolos non fuisse omnes uno eodemque modo attonfos, supra Bedæ verbis, si eis fides haberi debet, retulimus. Qui insuper addit: *Næq; nunc Ecclesia Catholica, sicut una fide, spe & charitate in DEUM consentit, ita & jam una atq; in dissimili totum per orbem tonsuræ sibi forma congruit.* At putaram ego, ab Apostolis quod institutum est, uti

quidem de tonsurā perhibetur, debere id uniformiter se habere, nec posse adeò in eis pro lubitu Ecclesiam variare. Et tamen etiam hodiè non observari eundem tonsuræ modum, qui olim in usu fuit, ipse fatetur Jacobus Sirmondus in *not. ad Apollinar. Sidon. lib. 6. epist. 3.* Tonsura enim Clericalis ita olim fiebat, ut circulus tantummodò capillorum emineret, instar coronæ. Hodiè autem, ait, apud nos antequam coronæ formam soli ferè monachi retinent, & pueri vocales symphoniaci. Nam brevis ille orbis in vertice, quo Cleri pars magna utitur, insolens olim atque inusitatus in Ecclesiâ fuit. Tanta ergò cum sit differentia, tantaque à priorum seculorum usu discrepantia, quæso ego, unde certus quis esse possit, quæ forma & num omninò aliqua ab Apostolis instituta fuerit, aut præscripta.

XVII. Ipsa etiam hîc seorsim abit Ecclesia Orientalis. Apud Romanos enim olim eadem fuit tonsura & Clericorum & Monachorum, cum hodiè non modo tonsura in rasuram sit conversa sed diversi etiam generis Monachi & Clerici gerere soleant coronam, uti dixi. Monachi namque totâ supra capitis parte abrasâ inferiorem ad modum coronæ, puræ tamen & illibatæ, non, ut olim, spineæ, in tonsuram relinquunt; clerici verò brevi tantum in vertice utuntur orbe. Eumque morem à Petro, ad quem omnium traditionum suarum originem referunt, se accepisse jactitant. At diversæ Orientalium tonsuræ originem ad Paulum refert Bedæ *hist. lib. 4. cap. 1.* ubi scribens de Theodoro Tharsi in Ciliciâ nato & ad Archiepiscopatum Cantuariensem evecto, *subdiaconus*, inquit, *ordinatus quatuor expectavit menses, donec illi coma cresceret, quo in coronam tonderi posset, habuerat enim tonsuram more Orientalium, Sancti Pauli Apostoli.* Idem recenset ex archivis Johannes Josselinus in *vit. Theodori.* Ergò ut posset Theodorus in Occidente Archiepiscopus fieri, necesse fuit, Apostoli Petri, si ita placet, signaturam accipere. Pauli autem tonsura qualis fuerit, aut qualis saltem credita fuit ab Orientalibus, colligere forte licet ex eo, quod scribit Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in *theoriâ rer. Eccles. Radi toto capite, ad imitationem sit S. Jacobi DEI fratris & Pauli Apostoli & reliquorum.* Toto ergò capite dum rasus erat Theodorus, ut coronam deinceps more Latinorum per tonsuram accipere posset, per quadrimestre spacium capillos nutrire oportuit. Nec enim tonsura Latinorum applicari ei potuisset, nisi capillos prominentiores & cutem opertam habuisset.

XVIII. Tanta ergò pro temporum & locorum diversitate cum fuerit tonsuræ Clericalis diversitas, & cum omninò illa sine subjecti corruptione abesse possit, uti supra ex literis systaticis hodierni Jesuitæ adduxi, quid est, quod eam ut necessariam nobis obtrudere volunt, qui Pontificis Romani castra sequuntur? & cur tam acriter pro eâ pugnantur,

tur, ac si pro totâ religione Christianâ certamen institutum esset? In superstitionem scilicet degeneravit, quod ab initio modestiæ argumentum fuit, & quod Clericos à mundanis deliciis ad simplicem corporis habitum & masculinam faciei formam à Paulo omnibus Christianis præscriptam revocare debuit. Contigitque deinceps hincidem, quod de gentiliū superstitione eleganter olim scripsit Prudentius:

*Ut semel obsedit gentilia pectora patrum
Vana superstitio, non interrupta cucurrit
Ætatem per mille gradus, tener horruit heres,
Et coluit, quicquid sibi met venerabile cani
Monstrarant at avi, puerorum infantia prima
Errorem cum lacte bibit, gustaverat inter
Vagitus, &c.*

XIX. Ut verò superstitio illa firmatâ jam stirpe robur suum & alimentum ab religione acciperet, variâ conquistâ sunt mysteria, quæ per tonsuram illam significarentur. Nonnulli ad spineam Christi coronam referunt, quam per sacram hanc tonsuram in memoriam revocari contendunt. Alii ad imitationem Petri receptam volunt, quem eâ ratione ab Ethnicis ignominosè detonsum ajunt; rursus alij Regiam dignitatem Christianis omnibus collatam denotari dicunt: alii ex circulari figurâ nescio quam perfectionem efficiunt, & ad homines DEO sacratos applicant. Optimam verò putat Rhenatus à Valle *d. l.* rationem istam, quâ analogia aliqua & comparatio instituitur inter liberos olim & clericos suæ Ecclesiæ, ut quemadmodum manumissorum capita rasa fuerunt olim, ut servile nihil in eis remanere censeretur; ita homines DEO sacrati capita raderent, quò se à DEO manumissos in libertatem filiorum DEI, nec ultra distinendos servilibus seculi occupationibus agnoscerent. Quæ comparatio etsi quodammodo in Clericorum personis locum inveniat; non video tamen, uti adaptari ea possit Monachis & eorum tonsuræ, quippe qui pro servis habentur inter Canonistas. Quod si omninò analogia hic aliqua & mysterii cuiusdam significatio elicienda fuerit, dicerem potius per inversionem, tonsuram clericalem ex liberis facere servos, quos tonsos fuisse olim, ex Aristophane, Juvenale & aliis constat. Ad eundem igitur modum dicerem ego, eos, qui ab Ecclesiâ tonsi fuerunt, servos factos fuisse, scil. DEI, quo nomine ipsi etiam monachi venire quandoque solent, uti notat Dn. Baluzius *ad Servat. Lup. epist. 25.* Et hoc fine, ut servus fieret, comam deposuisse dicitur Rex Bulgarorum ab Anastasio Bibliothecario *in præfatione historica ad Synodum Octavam*: *In tantum autem, inquit, pietas venerat principis & abundabat circa beatum Petrum veneratione affectus, ut quâdam die manu propria capillos suos apprehenderet & contemplantibus cunctis se Romanis missis tradiderit,*

dicens: Omnes primates & cuncti populi Bulgarorum terra cognoscant, ab hodierno die me servum fore post DEUM beati Petri, & ejus Vicarii. Ex unico hoc tonsuræ actu cum tot tantaque mysteria eaque planè contraria colligere liceat, facile patet, mysticas istas interpretationes, quibus admodum luxuriat Ecclesia Latina, planè nullius esse momenti, & meros esse ingeniorum humanorum lusùs, nec putaverim ego, primos rerum inventores eosdem, qui elici hodiè solent, intradisisse significatus.

XX. Illud addo, tonsuram istam sive Clericalem sive monachalem multâ quandoque cum solennitate peractam fuisse. Præterquam enim, quod ab Episcopo ea, & quidem cum benedictione, expediri debuit, etiam personæ aliquando in summâ dignitate constitutæ adhibebantur, qui primitias quasi ex capillis delibarent, & hoc ipso quasi susceptores essent novæ creaturæ. Ita refert Faustus monachus *in vitâ S. Mauri Abbatis de Floro quodam: Deinde veniens ante sacrosanctum altare adstante B. Mauro, & omni congregatione, -- -- jubente viro DEI, Rex primus post eum de comâ capitis ejus torondit, deinde, quicumq; ex optimatibus ejus voluit. Eodem pertinet, quod ab imaginum cultoribus observatum refert Michael Imperator Constantinopolitanus, Iconomachus ipse, in epistolâ ad Ludovicum Imperatorem in Occidente: Alii, inquit, religiosum habitum monasticum sumere volentes, religiosiores personas postponebant, qui prius comam capitis eorum suscipere solebant, adhibitis imaginibus, quasi in sinum earum decidere capillos illorum sinebant. Tota epistola extat apud Baronium ad ann. DCCCXXIV. num. 18. seq.*

CAP. XVIII.

De jure convocandi Synodos.

I.

PEr synodum hîc intelligo conventum piorum, eruditorum & gravium Virorum autoritate publicâ ex omnibus Ecclesiæ ordinibus congregatorum, ut de verâ & falsâ religione, vel de disciplinâ & ritibus Ecclesiasticis secundum præscriptum verbi divini collatis sententiis judicent. Descriptio hæc accommodata est primis Conciliorum natalibus & institutis. Ab illis enim recessum sequioribus temporibus fuisse, negari haud poterit, si hoc saltem consideretur, Laicos in Scripturis divinis exercitatos hodiè ad suffragia non amplius admitti, quos tamen excludere noluerunt veteris Ecclesiæ Doctores. Corruptelæ aliæ, quæ se ingesserunt subinde, ut hîc memorentur, parum facit ad institutum. Primum autem Concilium ab ipsis Apostolis celebratum refertur *Actor. XV.* idque veluti regulam